

Martinus quintus papa, Witoldo ma:
gno duci Lithvanie.

110

Dilecto filio nobili viro Alexandro alias Witoldo
duci Lithvanie salutem etc: Recepimus literas
tuas, et carissimi in Christo filii nostri Wladi:
slai regis Poloniae illustris fratris tui, super pro:
motione vicecancellarij regni Poloniae ad eccle:
siam Posnaniensem, quas scias non sine men:
tis molestia nos legisse. Turbarunt enim non
solum animum nostrum, sed etiam collegij
venerabilium Fratrum nostrorum sanctae Roma:
nae ecclesiae cardinalium, et illud praecipue nos
convenit, quod tam in tuis, quam in ipsius re:
gis literis narratur, vos ordinasse ad nos mitte:
re oratores vestros cum muneribus, tanquam
persuasum fuerit tibi, nos posse moveri donis
ad obsequendum regiae tuaeque voluntati. Quod
in opprobrium nostrum scriptum auersi potest,
et in dedecus apostolicae sedis. Illud etiam a
te scriptum admirati sumus: te conqueri nos
non expectare presentationem regis: quam di:
uis de consuetudine regni antiquitus tentam.
Nam hoc est longe aliter, quam fuerit sug:
gestum tibi. Si enim, quod fecimus saepius, et li:
benti animo, ut complacemus regi, ad eius pre:
ces aliquem promovimus: non ideo eius pra:
sentationem expectare debemus. Neque quod ex
liberalitatis nostrae beneficentia hactenus processit,

id pro debito usurpandum est, nobisque potius gratia habenda esset qui exaudivimus supplicationes regias, quam aliquid nunc imputandum, si iuribus nostris et sedis apostolica usi sumus. Sed hæc et quam plura que in tuis literis continentur, certi reddimus non procedere de mente tua, que tamen caritatem erga te nostram nec extinguere poterunt nec minuere. Inventa autem et conficta existimamus ab illo vicecancellario, in cuius favorem scribuntur. Itaque non culpamus nobilitatem tuam: quem putamus ignorum fuisse eorum que in literis continebantur. Sed illum malignitatis filium, pro quo scribuntur, qui ipsarum auctor debuit esse et machinator, sicut regiarum quoque literarum fuisse apparet. Qui usque adeo malo ambitionis occupatus est, et in ari dominandi gloria ductus, ut non cogitet quid persuaserit regi, aut quod agat, loquatur aut scribat, dummodo perveniat ad dignitatis gradum, quem perversa et reproba via concupiscit, qui semper intentus est ad disseminandum, quod tamen efficere nunquam poterit, discordiarum frugem inter nos, et regem præfatum, quærens diminutionem oppressionemque iurium authoritatisque nostre et sedis apostolicæ, ut ipse augeatur et exaltetur. Filius vane reprobus, qui per matris dedecus sibi honorem querit, qui persuadere conatur regi multa, licet, ut confidimus, in cassum, que cum

à devotione sua erga nos alienent. In quibus, si aut doctus est, aut bonus, scit se planè mentiri, cum sint contraria divinis iuribus et humanis. Est homo quidem perversus ac nequam, qui si aliquid in se virtutis aut bonitatis haberet, non tantum per fas et nefas adeo effrenate optaret extolli, expectaretque donec vocetur ad dignitates potius, quam se tam turpiter, tanque imprudenter ingereret. Sed quoniam indies pullulat eius cupiditas in suam perniciem et scandalum aliorum, virgâ ferrea compescenda est. Itaque ad refrœnandam hanc immensam eius cupiditatem, quæ est malorum omnium radix, et ut anime sue salutem consulamus, cuius ipsum videmus esse oblitum, et eius curam postponere pro mundi pompa, de consensu præfatorum cardinalium ipsum inhabilitavimus ad quæcumque beneficia, dignitates etiam pontificales in posterum obtinendas, proassuri, nisi resipiscat, ad privationem honorum officiorumque quæ obtinet, et ad alia ulterius prout sua postulabunt demerita, et prout fuerit rationis. Tuam ergo sublimitatem requirimus et in domino cohortamur, ut roges fratrem tuum illustrem, ut illum vicecancellarium, qui quantum in eo fuit, famam regis et regni dehonestavit, literis suis à suo consilio et latere repellat, officioque removeat, fugiens eius colloquia, tanquam aspidis surda,

tunc

tunc maxime laedentis cum blanditur, hortentis:
que ut ostendat palam omnibus talem virum
non solum remotum esse à suo conspectu, sed
privatum quoque gratia et benevolentia ve:
gia, quod idem ut tu similiter facias pater:
na caritate monemus, et etiam suademus,
nullam prestando fidem eius verbis, sed eum
fugiendo tanquam virum infectum, et eum
qui cogitatione sermonis multum posset
nocere tue fidei puritati et honori, quam
non solum debes conservare, sed in diem au:
gere, ut augeatur in te gratia summi Dei.
Nam quo magis in aetatem procedis et in do:
mini amplitudinem, eo magis pietate, reli:
gione, devotione et obedientia debes proficere
et cariorem habere anime tue salutem,
quam talis hominis indebitam exaltationem,
citiusque nobis complacere et verbis nostris
intendere, quam illius. Nos quidem personam
tuam semper complexi sumus paterna bene:
volentia et caritate, prout nosti, desiderantes
te, veluti deus, obedientia filium semper in
melius dirigere mentem tuam. Tuis vero pe:
titionibus, quantum cum Deo potuimus, cona:
ti sumus complacere, et ita quantum cum
honore nostro poterimus, in futurum facie:
mus. Datum Romae apud sanctos apostolos
decimo quarto Kalendas Martij, anno decimo.